

RIGA DEVICTA.

13

Nec ratibus terras Hostem conscendere inultus
 Fert RIGÆ miles. Sed cymbis agmine facto
 Mox interceptas binas ex classe minores
 In prædam ducit puppes. Cumq; Insula Dunæ
 Arci adversa minor petitur, Sueonumq; Triremes
 Septenis peditum tentant hanc scandere Turmis,
 Acris in occursum vibrat sua fulmina R I G A,
 Dispellitq; Rates, denso cum milite, retrò,
 Perterebrans binas, quarum altera flagrat in undis,
 Alterius spolio Miles gavifus opimo;
 Ipsaq;, quæ titulo Jovis est, vix salva refugit.
 Nec minus in terris R I G Æ se mascula virtus
 Exferit, ac suprâ sortem sese objicit Hosti.
 Mulgrabiis Turmas quum R E X deducit ob oris,
 Prodit in adversum nimis audax Martia turba,
 Quà jaculis olim docta est Rigana juvenus,
 Irritatq; Hostem. Tum quamvis cedere jussa
 Majori numero, non turpia vertere terga
 Visitur, ast lento pugnans concedere gressu,
 Ac muris propior Sueonum dat fulmine stragem.
 Ipsi quin etiam R E G I non rara cruenti,
 Ac Fratri C A R O L O, peperit discrimina lethi.
 Collis arenosi quum R E X in vertice primùm
 Intento circum perlustrat lumine campos
 Aptandos Castris, dudumq; in Colle moratur,
 Eminus hostili stantem de more salutant
 R I G A N I; Monitusq; gradum nisi ad ima tulisset,
 Prima dies (cheu!) R E G I suprema fuisset.

Hosti re-
 sistunt
 in Fluvio.

In Terrâ.

Cum peri-
 culo
 REGIS ac
 Principis.
 1. In Colle.

B 3

Namq;